



1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.



1795.

1. Ballhorn, Fidericus : De jure naturali veterum
2. Clasen, Henr. Georg Fied : De eo, quod justum est circa
rescripta de emendando seu ordinatiōnes praesertim
secundum jus provinciale Brunsvici-Luneburgicum
3. Inzelker, Diedericus : De causis expellendi colonos.
4. Finckel, J. C. : De unius testis confessione
5. Kleffeker, Franciscus Matthiae : De heresia, quam
vercent, grave seu magna in primis secundum
leges et consuetudines Hamburgensium.
6. Lang, Fidericus : De nullis fundamentis oblige-
tionum ex pacto testis quaesitorum
7. Noedkert, Aug. Just : De jure renouandi officiorum
publicorum.
8. Schirger, Georgus Theophilus : De eo, quod justum est circa
separatorem debiti in litum deducti illiqui ^{si} cum liquido.

1799

1. Boering, Franci Faculus: De versione patrem et
quidem ejus natura, in dale et effectibus secundum
principia juris civilis.
2. Sillern, Roman: Aliquot aenigmata e doctura
de exceptionibus petita.

K
D
1
1
8

1717
1718
1719
1720
1721
1722
1723
1724
1725
1726
1727
1728
1729
1730
1731
1732
1733
1734
1735
1736
1737
1738
1739
1740
1741
1742
1743
1744
1745
1746
1747
1748
1749
1750
1751
1752
1753
1754
1755
1756
1757
1758
1759
1760
1761
1762
1763
1764
1765
1766
1767
1768
1769
1770
1771
1772
1773
1774
1775
1776
1777
1778
1779
1780
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800



1711

1. *Principia Mathematica* 2. *Principia Mathematica*
de *principiis mathematicis* 3. *Principia Mathematica*
principia mathematica

2. *Principia Mathematica* 3. *Principia Mathematica*
Principia Mathematica

Principia Mathematica de iure naturali veteris.



1798, 1 A/4
DE
VRE NATVRALI
VETERVM.

Ου γαρ τε νυν γε κήρυξες, ἀλλ' αἰεὶ ποτὲ
Ζη τοῦτο, κίρσεις οἶδεν ἐξ ὄτου Φανη.

COMMENTATIO

QVAM

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRO ASSEQVENDIS

SVMMS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

DIE XVII. MART. MDCCXCVIII

PVBLICE DEPENDET

AVCTOR

FRIDERICVS BALLHORN

SEM. PHIL. GOTT. SOD.
HANNOVERANVS.

GOTTINGAE,

LITTERIS BARMERIANIS.

F. Ballhorn de iure naturali veterum.

1774
1. Januar
Johann
p. 1
1. Januar
1774

CO



CORNELIO MVNTER

CIVI BATAVO



1717
H A S C E S C H E D V L A S

P I A M E N T E

D. D. D.

A V C T O R.

Incidit haud raro inter viros doctos disputatio, vtrum veteribus iuris naturalis cognitio tribui possit, an non; nec omnino negandum videtur, sua vtrique parti haud leuia fuisse argumenta, quibus opinionem tuerentur et fulcirent. Sensus enim iusti et iniusti, quum omnibus, qui quidem sana mente fruuntur, hominibus innatus sit, probabile sane fuerit nobis, antiquos philosophos de iusto et iniusto cogitauisse et differuisse, vel si eorum scripta nunquam legerimus. Quod quidem vel magis ita apparet eo, quod scimus, a primis inde temporibus populos habuisse suos legumlatores acerrimos et sagacissimos, quorum leges fuerunt, quae per multarum valerent aetatum memoriam. Quid? quod non defuerunt, qui de republica constituenda ratione quadam philosophica agent, legesque studerent inuenire hominum ingenis et moribus aptissimas. At quosnam citius in notiones aliquas iuris naturae incidere necesse erat, quam legumlatores, aut eos, qui

de legibus ferendis et ciuitatibus ordinandis tam acute disputauerunt, quam sedulo cogita-
 uerunt? — Nonne ea, quae inter leges, quas
 vocant *positiuas* et libertatem hominibus natura
 concessam, interest, controuersa, saepe ante
 oculos illis obuersari debuit? — Singulorum
 enim naturalis conditio, quum ad suam quem-
 que agat felicitatem augendam et seruandam,
 legumlatores id potissimum circumspicere ne-
 cesse est, quonam modo naturam humanam
 cum legibus, quibus restringatur, concilient.
 Leges enim positivae non felicitatem tantum
 cuiusque spectant ciuis, sed multo magis
 felicitatem et securitatem omnium, i. e. ciuita-
 tis, ad quam ordinandam sunt latae. — Nec
 desunt in libris antiquorum philosophorum, ad
 nostram vsque aetatem seruatis, loca praestan-
 tia, ubi de iure naturae mentio iniicitur, ita, ut
 vel ex solis hisce satis prono alueo fluere videat-
 ur, fuisse antiquis ius naturale super philoso-
 phicis principiis exstructum. Altera vero ex
 parte, quae de iure naturali apud veteres au-
 ctore leguntur loca, ita sunt comparata, ut
 statim possis videre, iustum ab aequo, aut
 omnino a morali bono non discerni, sed po-
 tius cum eo confundi; iustitiam pro iure ha-
 beri

beri et tractari; nec raro, ius consuetudinarium pro iure naturali adduci. Deinde etiam nulum exstat auctoris antiqui scriptum soli iuri naturali declarando destinatum, ita, ut vel inde patere videatur, non satis accurate et diligenter veteres in iuris naturam inquisiuisse.

Quibus omnibus bene perpensis, haud levia videmus esse vtrique parti argumenta, et illorum, qui veteribus omnino tribuunt iuris naturalis notitiam, et horum, qui eam negandam iis censent. Res vero non ita videtur difficilis, vtramque conciliare opinionem, diversis definitionibus iuris naturalis, ex quibus diuersitas opinionum oritur, satis diligenter constitutis. Est enim sensu laxiore *ius naturale*, cui ius omnino positum tanquam fundamento innititur, et a quo petit vim obligandi et obfringendi naturalem. Magis proprio sensu ius naturae est scientia suis propriis superinstructa principiis, ex quibus omnia iura hominibus in homines suppetentia possunt deduci et velut ex fonte aliquo deriuari. Videamus iam an laxiore illa definitione possimus cum aliquo iure vti.

Acutissima et sagacissima inter viros doctos ingenia, administrandarum ciuitatum periti,

ICTI et philosophi inde a medio saeculo decimo sexto de iure naturae cogitauerunt et in scriptis suis differuerunt. Attamen nostris demum diebus factum est, vt ius naturale pro scientia suis propriis principiis innixa possit haberi, quum antea iisdem cum ethica principiis inniteretur. Jam demum satis fixi sunt et determinati fines iuris naturalis. Prima illa iuris philosophico modo tractandi tentamina IO. OLDENDORPII 1) et NICOLAI HEMMINGII 2), imperfectissima et manca, de finibus scientiae stabilendis ne cogitarunt quidem. Primi tamen illi auctores habentur, qui ius naturale in disciplinae aliqua forma tractauerint, quod suum illud consilium in ipsis librorum titulis declarant, et ius ciuile vere ex eo, quod docent, iure naturali aliquatenus deducere student. Hoc tamen iis nihil aliud est, quam sensus iusti et iniusti in nobis obseruatus, iure diuino, sacra scriptura nobis reuelato, auctus et adiutus. Nullum quidem huic juri erat criterium, quo ab ethica dignosceretur; ne a posito quidem iure

1) IO. OLDENDORPII *isagoge* s. elementaria introductio iuris naturae gentium et ciuilis. *Col. Agr.* 1559.

2) NICOLAI HEMMINGII de lege naturali *methodus* Apodictica. *Vitemb.* 1577.

iure satis discernebatur. Num tamen dicere fas esset, ante *GVNDLINGIVM* nullum extitisse ius naturale, quod is primus, iure cogendi pro caractere iuris naturalis constituto, fines scientiae aliqua ratione determinasse non negandus sit? — An non tribuamus iuris naturalis notitiam quandam tantis ante *GVNDLINGIVM* viris, *GROTIO*, *HOBBSIO*, *PVFENDORFIO*, *THOMASIO* pro statoribus et conditoribus iuris naturae habitis? — Enim vero si notionem iuris naturae hisce negamus viris, necesse est, et omnibus ante *Fichtium* philosophis idem recusare, quod principiis moralibus scientiam superinposuerint. Quibus quidem non dubito, notionem iuris naturalis omnino tribuere; accuratam tantum notionem negem. Atque eadem profecto ratio est antiquorum philosophorum, quibus notiones iuris naturalis sane erant rudes et inconditae; erant tamen. Ius naturale nihil iis aliud est, quam id, quod leges scriptas et omnino latas praecedat, eisque naturalem aliquam vim et auctoritatem impertit. Ethica etiam, quanquam eadem iis sit scientia, tamen nescio, an non, ita respectu ad eam habito, ius naturale vocari possit? praesertim, quum vel antiqui scriptores ipsi hoc nomen

rei tribuant. Officia et iura antiquis philosophis ex iisdem manare videbantur fontibus. Non agnouerunt discrimen, quod re vera est inter *obligationes* quas vocant, *iuris*, et *obligationes morales*. Non respexerunt ad eum, cui aliquis obstrictus est, cuique aliquid debet, sed ad ad eum, qui ipse est obstrictus, a quo aliquid exigi potest; ita ut saepe de iniustitia agerent, quum omnino de iusto agere aut vellent aut certe deberent. Attamen in eo, de quo agebant, fontem et auctoritatem omnis conspiciere sibi videbantur iuris positi, et huncce fontem ius appellabant naturale.

Operae pretium putavi inquirere, quales et Graecorum et Romanorum, tum etiam medii aevi philosophorum aut Ictorum ante Oldendorpium fuerint iuris naturalis notiones. Cuius quidem disquisitionis partem, veluti specimen aliquod, hisce schedulis proponere licet. Cetera alio loco et commodiore tempore tractare in animo est. Ansam operi dedit Vir Ill. BVHLE, praceptor grata mente semper colendus, qui in eo, qui iam prodit libro de iure naturali, primo a Socraticis iuris naturalis petit originem.

Omnis vero historiae iuris naturalis, quatuor possunt constitui periodi. Quarum quidem

dem *prima* eos habet philosophos et Ictos, qui de iure disputauerunt naturali, ita tamen, vt nullam haberent scientiam, iuris naturalis nomine insignitam, nec id aut a iure positiuo, aut ab ethica satis discerneret. *A* SOCRATE ad IO OLDENDORPIVM. — *Secunda* periodus, ab OLDENDORPIO ad GVNDLINGIVM, eos continet, qui ius naturale in scientiae aliqua methodo tradunt, limitibus non satis fixis et determinatis. *Tertiam* efficiunt philosophi et Icti, qui cogendi iure pro regula accepto ambitum totius scientiae ad ea iura et ad ea restrixerunt officia, quae exsequi et praestare aliquis cogi possit. *A* Gundlingio ad Fichtium. *Quarta* demum periodo ius naturae e suis propriis principiis elici coeptum est, a libertate hominis externa petitis.

Primae periodi aliquam partem ideo maxime mihi selegi h. l. considerandam, quia nusquam de iure naturali istius aetatis philosophorum scriptum memini. Quid? quod sunt, qui eo audaciae procedant, vt Graecis fuisse tales notiones negent, Romanis contra tribuant inde ab Vlpiano, vnde illa iuris naturalis in digesta migravit, nescio an dicam, definitio, vbi
ex-

explicatur per id, quod natura omnia animalia docuit 1).

Nulla fere unquam terra maiorem habuit numerum legumlatorum sagacissimorum, quam Graecia, nulla legibus, aut ad ordinandas respublicas, aut ad iura singulorum ciuium determinanda latis, fuit ditior. Nec fecus esse potuit, quum tot in Graecia semper fuerint ciuitates, quae tot et tantas subinde conuersiones experirentur, vt vix vnum aut alterum inueniri possit reipublicae genus, quod in Graecia non extiterit. Quo factum est, vt primo magis experientia docerentur isti viri, quibus ferendarum legum cura demandabatur, quam disciplina aliqua, aut libris de legibus conscriptis. Itineribus in populorum externorum terras factis, Aegyptiorum praecipue institutis et constitutionibus perscrutatis et cognitis, sibi quisque erat optimus de legibus praeceptor et interpres. Lycurgum scimus variarum ciuitatum instituta prius perquisiuisse, quam opus adgrederetur a ciuibus ei demandatum: eadem de Solone comperimus. Vel ferioribus temporibus eandem fere methodum praeualuisse ex eo iam apparet, quod Aristoteles, priusquam ad librum, quem

1) l. I. §. 3. ff. de I. et I.

quem de republica deinde conscripsit, exarandum accederet, omnium, quae quidem ipsi innouerunt, ciuitatum instituta et leges diligenter perscrutatus singulis libris descripsit.

Non miremur itaque, si non ante Socratem de legibus aliqua videmus conscripta. Aliam enim nouerunt legumlatores viam, aliamque methodum ad notitias sibi necessarias procurandas. Philosophi vero hoc tempore leges physicas perquirentes et constituentes, de legibus, quibus humanum genus regi debeat, ne cogitarunt quidem, solo Pythagora excepto eiusque scholae affeclis, vere nomen *sapientum* merentibus.

Socrates primus philosophiam deuocauit e coelo, et in urbibus collocauit, et in domos etiam introduxit, et cogit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere 1). Quae quum ita sint, non haesito ab eo, aut ab eius discipulis originem omnis philosophiae iuris repetere. Socrates enim, quum primo ad vitam moresque formandos philosophiam adhibuerit, iura vero tum temporis ad ethicam omnino pertinerent, conditor omnis philosophiae moralis idem philosophiae iuris habendus est conditor; quod et apparere videtur

1) Cic. Tusc. qu. V. 4.

tur ex Xenophonte, qui vnus philosophiam Socraticam fatis puram et simplicem ad posteros transmissit. Audimus ibi Socratem, quum de aliis rebus ad mores pertinentibus, tum etiam de *iuslo* et *iniusto* 1) loqui cum Hippia Eliensi, sophista, quem ex Platone melius nouimus.

Socrati *iuslum omnino est legitimum*, *Φημι γαρ εγω το νομιμον δικιον ειναι*. Legum vero duo constituit genera. Sunt ei vel *ciuiles siue humanae*, vel *naturales s. diuinae*. Leges diuinas causas habet eius, quem quisque obseruare potest, hominum in multis rebus et potissimum in iudiciis de actionum quarundam vi, consensus. **SOCR.** *Αγραφους τινας οιδθα, ω Ίππια, νομους; HIPPI.* *Τους γεν παση χωρη κατα ταυτα νομιζομενους.* **SOCR.** *Εχθεις αν ουν ειπειν, οτι οι ανθρωποι αυτους εδεοντο; HIPPI.* *Και πως αν; οι γε ουτε συνελθειν απαντες αν δυνηθειεν, ουτε ομοφωνοι εισι.* **SOCR.** *Τινας δε νομιζεις τετελεσμεναι τους νομους τουτους; HIPPI.* *Εγω μεν θεους ομιαι τους νομους τουτους τοις ανθρωποις θεωναι.* Leges diuinas negligere periculosissimum est, quia eos, qui eas violant, poena naturalis necessario consequitur. *Αλλ ουν διμην γε τοι διδοσιν οι παραβαινοντες τους υπο των θεων κειμενους νομους, ην ουδευι τροπω δυνατον ανθρωπω δικ-*

φεν-

[1) XENOPH. Mem. SOCR. IV. 4.]

Φευγειν. Notiones vero iusti et iniusti non a deo pendent, sed deus iusta tantum iussit.

SOCR. Ποτερον ουν; ω Ιππια, τους θεους ηγγη τα δικαια νομοθετειν, η αλλα των δικαιων; HIP. ουν αλλα, μα Δι. σχολη γαρ αν αλλος γε τις τα δικαια νομοθετησειεν, ει μη θεος.

Socrates vero, an in omnibus hisce non de iis tantum loquatur legibus, quae more et usu tantum valent, nec in ciuitatibus vnquam fancitae sunt, ex quibusdam exemplis ab eo adductis omnino non patet. Loquitur de legibus, quae etiamsi non scriptae, neque omnino positae sint, tamen apud omnes pro legibus habeantur. Nonnullae vero ex iis ipsis rebus, quas eadem lege diuina, i. e. consensu omnium gentium, iustas esse dicit, re vera sunt talia, quae a nullo possint legislatore satis definiri; E g. amicis accepta referre grato animo; ita, vt possis videre, Socratem ibi non de eo loqui, quod iustum sit, sed potius cum aequo id confundere. Tamen velimus plura edocti esse a Xenophonte de iuris naturalis notionibus Socraticis, quum ea, quae illo in dialogo enarrat, breviora sint, quam de quibus temere iudicare liceat.

Quae

Quae supra de omnibus afferui antiquis philosophis de iure disputantibus, quaeque in iis reprehendi, ea omnia cadunt etiam in Platonem eiusque primam Academiam. Non satis inquit in officiorum et iurium naturam, neque diversarum obligationum *iuris* et *moralis* differentiam, earumque in nonnullis casibus controuersiam animaduertisse videtur, immo officium morale iuste agendi pro ipso habet iusto, et ita ius apud eum finibus ethices comprehenditur 1).

Omnium actionum humanarum supremam aliquam legem statuit moralem 2): perfectissimam quaerito virium tuarum harmoniam, sic temperatam, vt suam quaeque agat, ita, vt ratio imperet, ceterae vires rationi pareant. — Qua quidem lege Platoni etiam omnia iusta comprehendendi apparet ex toto illo de republica loco. Conformationem actionum ad istam legem iniustitiam appellat. Iniustitiam vero cerni asserit, seditione inter diuersas animi partes et vires, quando id agunt, quod earum non est, alienum munus usurpantes, vna aliqua parte, quae naturalis sit, vt rationi seruire debeat, contra versusum animum insurgente. Omnem suae ciuitatis

1) BvHLE *Nat. R.* §. 63.

2) *Morgenstern de Plat. Rep. Comm.* II. p. 108

tatis institutionem componit ex quatuor istis virtutibus cardinalibus, Sapientia, Temperantia, Fortitudine ac Iustitia 1).

Quae tamen omnia, quum vnice ad ethicen spectent, iam relinquamus, et consideremus Platonem, vbi de *legibus* ipsis differit, et, an mellora, vel aptiora, nostro saltem consilio, inde possimus elicere, videamus.

Inter eos libros, in quibus talia aut tetigit aut tractauit, nullus sane potior eo, qui inscribitur *Μινως*, η *περι νομου*, vbi de legis definitione philosophico modo, sed paucioribus, quam vellemus, differitur. Ab initio statim videas, Socratem, qui et in hoc dialogo praecipuas agit partes, vniuersalia quaedam de lege requirere et desiderare 2), *σκοπει γαρ δη ο τυγχανω ερωτων σε. ερωτω γαρ, ωσπερ ει ανηρομη, τι εσι χρυσοσ; — ουδεν γαρ που διαφερει. ουτε χρυσοσ χρυσου, ουτε λιθοσ λιθου, κατα γε το λιθοσ ειναι, και κατα το χρυσοσ. ουτο ουτε νομοσ που νομου ουδεν διαφερει, αλλα παντες εσι τ αυτου. νομοσ γαρ ειασοσ αυτων εσι ομοιοσ, ουχ ο μιν μαλλον ο δε ηττον. τουτο δη αυτο ερωτω, το παν τι εσι νομοσ.*

Ea

1) MORGENSERN l. c.

2) PLATO *Μινωῦ* p 313. a.

B

Ea deinde methodo, qua semper fere apud Platonem et Xenophontem vitur Socrates primo ostendit, quid lex non sit, deinde suam definitionem ponit: *Legem esse veritatis inuentionem* (ὁ νομος οὐν του οντος εἰς ἐξευρεσις). Minos, iuuenis, qui cum Socrate hoc in dialogo colloquitur, ad leges tantum respicit a populis constitutas, et, quam obseruauit in legibus singulorum populorum ac ciuitatum diuersitatem, ei opponit. Socrates vero hancce diuersitatem suae definitioni haudquaquam aduersari contendit. Quodsi enim non iisdem semper vtantur legibus omnes homines, non semper posse veritatem, quam lex expetat, inuenire. Unde etiam patet, legem ex opinione Platonis esse non solum veritatis inuentionem, sed etiam determinationem 1).

Legibus ciuitatis parendum, quod pacto quodam ita conuenit 2); pacti vero sanctitudo et obseruatio summa illa lege morali est firmata. Num vero pactum aliquod existit, quod nos obstringat, legem communem reuereri, et veritatis praeceptis obsequi? — Videtur Plato

hoc

1) *l. l. p. 115. a.* Οἱ δ' ἄρα μη τοῖς αὐτοῖς αἰ νόμοις χρωμένοι, ὡς δοκοῦμεν, οὐκ αἰ δυνατόν ἐξευρεσθαι, ὃ βούλεται ὁ νόμος το ον.

2) *v. Plat. Criton. praecipue p. 50. seqq.*

hoc obsequium naturae humanae tantum aptum et congruens putauisse, et ex contemplatione summi boni desiderioque finis omnium bonorum vim obligandi ei tribuisse. Plato enim ad naturam humanam satis accommodate, honestatem et felicitatem simul pro fine omnium bonorum habuit, ita tamen, vt honestati primas omnino deferret 1). Tum enim tantum ad bonum suum supremum poterit aliquis peruenire, si vtrique postulationi, tam ei, quam affert id, quo ad honestatem ducimur, animi studium, quam ei, qua trahimur ad felicitatem, simul concefferit.

Calliclem, sophistam, Gorgiae discipulum, audimus apud Platonem 2) nullum prorsus statuere ius naturale, nisi ius fortioris, quod pro vnico habet 3).

Opinionem fulcire, siue potius probabilio-
em reddere studet omnibus iis, quae quotidie
a bestiis obseruantur. Populos quoque et gen-
tes

1) Vid. MORGENSTERN l. l.

2) PLAT. Gorg. p. 481. ff. cf. BVHLE *Geschichte der Philosophie*. Th I, p. 159.

3) PLATO Gorg. p. 488. b. το κατὰ Φύσιν ἀγείν βίαν
τον κρείττω τα των ἡττωνων, και αρχειν τον βελτιω
των χειροτων, και πλειον εχειν τον κρειω του
Φαυλοτερου.

tes fortiores vincere alios, et dominari minoribus. Leges ex imbellicitate dumtaxat singulorum deriuauit hominum, ex quorum pactis mutuis primo iusti iniustique notiones ortae sint et ita constitutae 1). Haud enim ignorare homines singulos, sine istis pactis a fortioribus, cuique minori plus damni illatum fore, quam accipiatur lucri. Omnia vero talia pacta non obstringerent aliquem, qui, suarum virium sibi confcius, experiri eas velit. Huic quidem omnes leges non posse obfistere, si quidem fortior sit eis, i. e. omnibus, qui legem sancierunt. Ita vt plerumque accidat, vt lex atque natura sibi inuicem aduersentur 2).

Archelaus, Anaxagorae discipulus, idem fere contenderat, Diogene Laërtio teste, nempe nihil esse natura iustum siue iniustum, sed leg tantum, *δικαιον ειναι και το αιχρον ου Φυσει, αλλ νομω*. *Cyrenaici* quoque, sicut eorum ducto

1) *l. l. p. 483. c. νομω μεν τουτο δικαιον και αιχρον λεγεται, το πλεον ζητειν εχειν των πολλων. — δε γε, ομμι, Φυσις αυτη αποφανοι αυ. οτι δικαιοσι, τον αμεινω του χειρονος πλεον εχειν, και δυνατωτερον του αδυνατωτερου.*

2) Sed vide quam male Callicles opinionem suam eatur aduersus Socratem. *l. l. p. 487 seq.*

et princeps *Aristippus* 1), docebant, μηδεν ειναι
 Φυσει δικαιον η αιχρον, αλλα νομω και εδει. Sed
 vel ex vocabulo αιχρον, semper opposito τω δι-
 καιω, fluere videtur, eos philosophos non tan-
 tum locutos esse de iusto et iniusto, sed omnino
 de morali bono et malo, quae ab illis non fa-
 tis accurate distinxerunt. Notum vero est Ar-
 stippum voluptatem pro fine omnium bono-
 rum habuisse, et ideo etiam vetuisse leges con-
 temnere, quia omnis talis transgressio male
 vertere in transgressorem possit.

Multo accuratius et distinctius Platone
Aristoteles de iure hinc inde philosophatur 2),
 quamquam et apud eum eosdem videmus er-
 rores, in quos Platonem incidisse asserimus.
 Liceat mihi vero in exponendis eius de iure
 opinionibus copiosiori esse aliquantulum. Co-
 nabor enim ea, quae in scriptis Aristotelicis
 passim occurrunt, ita conquirere et construere,
 vt facilius omnis eius reddatur philosophiae iu-
 ris conspectus. Fortasse, si liber, quem com-
 posuit *περι δικαιου* 3) ad nos esset seruatus, me-
 liora

1) *Diog. Laert. II in vita Aristippi.*

2) *BVHLE Naturrecht p 33.*

3) Nisi hisce *περι δικαιου* liber idem est ac *quintus Eth.*
ad Nicom. Suspiciari enim licet, singulos alicuius
 B 3 ope-

lora de eius systemate docti effemus; iam vero hinc inde tantum decerpere quaedam licet, quae si non omnia recte consequor, lectorum beneuolorum indulgentiam mihi magnopere rogo.

Sensum omnino iusti et iniusti naturalem esse profitetur, eumque ante ullam existere ciuitatis societatem. Videtur vero Stagiritae hominum societatem in aliqua ciuitate tanquam principalem quendam fundum considerare, quo omnis nitatur iustitia. Illam nempe societatem necessariam iudicat ad vivendum h. e. ad humani generis existentiam, γενομένη μὲν οὖν (sc. ἡ πόλις) τοῦ ζῆν ἐνεκεν. Addit deinde ἀνθρώπος φύσει πολιτικὸν ἐστὶ ζῶν 1). Eum vero hominem, qui sua voluntate nulli omnino ciuitati adscriptus sit (ἀπολυ), aut nequam esse ducit aut potiore alio homine; aut belluam aut deum 2). Habet causas, cur necessario homines in societate aliqua vivant, sermonem, qui hominibus tantum fit datus, et sensum boni et mali, iusti et iniusti, τοῦτο γὰρ πρὸς τὰ ἄλλα ζῶν τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ, καὶ δι-

καιου
operis libros, quum a caeteris auctoribus, tum potissimum a Laërtio laudatos esse iis nominibus, quae partibus singulis praefigi solebant, earumque argumenta indicabant.

1) Polit. I. 2.

2) 1 l. ὡς ἡ θηρίων ἡ θεῶν.

καίου και αδικου και των αλλων αιθησιν εχθειν. Quae
 quidem verba, cum supra laudato loco si com-
 parueris, notatu videntur dignissima. Fluit
 enim illa ex iis Aristotelis opinio, quam modo
 indicaui, nimirum, non alias, quam in ciui-
 tate, sensum iusti et iniusti hominibus innatum,
 posse cerni, quanquam reuera ante omnem
 societatem adfit, h. e. ibi tantum esse iustitiam.
 Vel clarius ex iis, quae deinde leguntur, appa-
 rebit, hanc esse opinionem nostri philosophi 1):
 Φυσει μεν ουν η δρηη εν πατιν επι την τοιαυτην κοινωνιαν
 ε δε πρωτος συσησας μεγαλων αγαθων αιτιος. ωσπερ γαρ
 τελωθεν βελτιστον των ζωνων ανθρωπος εστιν, ουτο και
 χωριθεν νομου και δικης χειρισει παντων. — — η δε δι-
 καιοσυνη πολιτικον. η γαρ δρηη πολιτικης κοινωνιας ταξις
 εστιν, η δε δικη του δικου κρισις.

Sunt vero, qui reprehendant Aristotelem
 quod *sermonem* inter causas habeat, cur hominem
 appellet ciuile animal, quod nec sermo expri-
 mi possit absque mutua hominum inter homi-
 nes coniunctione. Verba vero Stagiritae non
 ita accipienda sunt, ac si putet philosophus,
 sermonem fuisse causam societatis efficientem,
 sed quia nihil natura frustra videtur factum, ex
 facul-

o) *Polit.* I. c. 2. extr.

facultate loquendi etiam naturalem aliquam deducere potest necessitatem in societate viuendi.

Valde dolendum est, eum locum in Politicis 1), vbi de iure seruos in potestate habendi, siue homines in seruitutem redigendi, loquitur, iniuria temporum adeo laceratum ad nos peruenisse; fortasse, si is locus saluus esset, meliora de primis iuris principiis Aristotelicis edoceremur. Ex verbis autem illis: *περι του δικαιου μονον εινα την αμφισβητησιν. δια γαρ τουτο, τοις μεν ευνοια δοκει το δικαιον εινα, τοις δ' αυτο τουτο δικαιον, το του κρειττονα αρχειν*, opinio Aristotelis de iusto omnino non elucet, quia ibi aliorum tantum indicat sententiam 2). Id vero apparet, Stagiritam ea opinione, quae omnibus Graecis et cunctis fortasse antiquis populis velut innata erat, nempe esse, quibus a natura status servilis tributus sit, in ratiocinationibus omnino turbatum esse.

Iustum secundum Aristotelem est legitimum et aequum 3). Leges non omnia possunt

1) *Polit. I. 3. 4.*

2) Quod quidem declarat, quum neutri parti assentitur, *επει δικαυτων γε χωρις τουτων των λογων, ουτ' ισχυρον ουδεν εχουσιν, ουδε πιθανον ατεροι λογοι.*

3) *Eth. ad Nicom. V. 2. ed. Turneb.* δοκει δε ο τε παρανομος αδικος εινα, και ο πλεονεκτης, και ο ανισος, το μεν δικαιον αρχη το νομιμον και το ισον. cf. c. 3.

funt comprehendere, quae vere iusta sunt 1). Est igitur ius aliquod naturale, ex quo id hauriri potest, quod legibus a populis positus non satis definitur. Aequitate vero continetur omne ius 2).

Liceat mihi iam hasce Stagiritae opiniones copiosius declarare et explicare.

Lex omnis vniuersalis est, i. e. ad omnes pertinet ciues. Enimvero non potest fieri, vt de omnibus rebus in vniuersum recte enuntietur. In iis autem rebus, vbi necesse est, in vniuersum aliquid statuere, quum recte id non fieri possit, lex definitur secundum id, quod plurimum fit, et in pluribus casibus rectum est. Saepe enim talis incertitudo non in lege, neque in legislatoris negligentia et ignorantia, sed in rei ipsius natura sita est. Saepe vero et ipse legislator, aut ignorantia, aut negligentia haud satis accuratas fert leges 3), ita, vt haud raro accidat, vt leges positivae iusto plane aduersentur. Quod quidem tanto saepius tunc temporis accidere necesse erat, quanto

mi-

1) *Eth. ad Nicom.* l. c. c. 10, ποιεῖ δὲ -- *Rhet.* I. 13. 13. ed. BURLER.

2) l. l. c. 3 cf. c. 10.

3) *Rhet.* I. 13. 13.

minori studio in ius civile, nunc tanta tot hominum cura excultum, intenti erant homines. Necessè itaque erat, iudicem non tantum secundum leges illas imperfectas pronuntiare, sed ad aliquid respicere etiam, quod et sine lege scripta iustum est. Quid? quod ipse Aristoteles 1) hortatur suum oratorem, ut, si leges scriptae causae suae adversentur, ad leges communes, i. e. ad ius naturale, confugiat, tanquam ad ius aliquod maioris auctoritatis, ad quod provocare liceat, et eo se tueatur.

Praeclara occurrunt apud Aristotelem de hoc iure naturali loca, e. g. του πολιτικου δικαιου το μεν φυσικον εστι, το δε νομιμον. Φυσικον μεν το πανταχου την αυτην εχον δυναμιν, και ου τω δοκειν η μη νομιμον δε, δ εξ αρχης μεν ουδεν διαφερει, όταν δε θωγται διαφερει 2). Ex quo quidem loco satis clara fluit iuris naturalis descriptio: *id ius, quo omnes tenentur homines, ante omnes leges latae existens, cui semper eadem suppetit auctoritas, et quod nunquam a mera hominum pendet opinione.*

Re-

1) l. l.

2) Comparari cum eo possit actio ex lege Aquillia, et actio in factum, ab ipso Iustiniano sancita. cf. WEBER *Entwickelung der Lehre von der natürlichen Verbindlichkeit*

3) *Eth. ad Nicom. V. 7. ed. Turneb. in al. edd. med. c. 10.*

Referantur ad eum locum etiam ea omnia, quae Stagirita de communi lege differit, quam priuatae opponit. *Lex priuata* 1) (*ιδιος νομος*) a ciuitatibus singulis est lata, accepta et ad ipsarum commodum aptata; contra *lex communis* (*νομος κοινος*) natura tantum ab omni aeternitate sancita est, quam noverunt homines etiam si nullum inter eos intercesserit pactum, nullaue fuerit societas ciuilis.

Scio quidem, non defuturos, qui in verbis Aristotelis ius tantum aliquod deprehendant, ad supplendas leges vere latas necessarium; nec omnino negem, talia primo adpectu uideri probabilia. Sunt deinde etiam innumera praecepta moralia, de quibus leges alicuius ciuitatis scriptae accurate statuere nequeunt. E. g. legibus *positiuis* non potest iuberi, amicos

ο) *Rhet.* I. 13. ed. B. λεγω δε νομον τον μεν ιδιον, τον δε κοινον ιδιον μεν τοις εκαστοις ωρισμενοι προς αυτους' και τουτων τον μεν αγραφον τον δε γεγραμμενον' κοινον δε τον κατὰ Φυσιν. εσι γαρ ο μακτερονται τι παντες, Φυσει κοινον δικιον και αδικον, και μηδεμια κοινωμια προς αλληλους η, μηδε συνθηκη, οιον και η Σοφοκλεους Αντιγονη Φαινεται λεγουσα, οτι δικιον, απαιρημενον δικαιο του Πολυπεικη, ως Φυσει ου τουτο δικιον.

Ου γαρ τε νυν γε κ' εχθρες, αλλ' και ποτε
Ζη τουτο, κ' ουδεις οιδαν εξ ουτου Φαγη.

cos obstringere beneficiis, aut iis, qui nos obstrinxerint, gratiam habere et referre; ea vero, ex Aristotelis opinione, lege communi (κοινῶ νομῶ) sunt comprehensa et iussa 1).

Attamen ex toto contextu, nec non ex aliis locis haud paucis occurrentibus patet, Aristotelem intueri ius naturale tanquam fontem, ex quo omnes hauriantur leges ciuitatum; contendere vero, iudicem aut oratorem tum demum ad hunc fontem accedere debere, quum leges ciuitatis scriptae aut omnino latae non suppetant 2). Id vero non videtur negandum, Stagiritam non fatis accurate sententiam

1 Rhet. ad Alex. c. 1. ed. Bvhl. δίκαιον μὲν οὖν ἐστὶ τὸ τῶν ἀπάντων, ἢ τῶν πλείων ἔθος ἀγαθόν, διορίζον τὰ καλὰ καὶ τὰ αἰσχρὰ. τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ γονεῶς τιμῶν, καὶ Φίλων ἐν ποίῳ, καὶ τοῖς εὐεργεταῖς χάριν ἀποδοῦναι. ταῦτα γὰρ, καὶ τὰ τοῖσι ὁμοίᾳ, οὐ προσταττοῦσι τοῖς ἀνθρώποις οἱ γεγραμμένοι νόμοι ποιεῖν, ἀλλ' ἐθεὶ ἀγαθῶν καὶ κοινῶ νομῶ νομίζεται. τὰ μὲν οὖν δίκαια ταῦτ' ἐστὶ. Νόμος δ' ἐστὶν ὁμολογητὴς πόλεως κοινόν, διὰ γραμμάτων προσταττόν, πῶς χρὴ πράττειν ἕκαστα.

2) Rhet. I. 13. 13. ed. B. τὸ γὰρ ἐπιεικὲς δοκεῖ δίκαιον εἶναι. ἐστὶ δὲ ἐπιεικὲς τὸ παρὰ τοῦ γεγραμμένου νόμου δίκαιον. συμβαίνει δὲ τοῦτο, τὰ μὲν ἀκούτων, τὰ δὲ ἔκοντων τῶν νομοθετῶν ἀκούτων μὲν, ὅταν λαθῆ, ἔκοντων δὲ ὅταν μὴ δύνωνται διορισθῆναι, ἀλλ' ἀναγκάσιον μὲν ἢ καθόλου εἰπεῖν, μὴ ἢ δὲ, ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺν. καὶ ὅσα μὴ ραδίον διορισθῆναι δι' ἀπειρίαν.

tiam suam exposuisse. Quum enim dicit 1):
 το αυτο αρχ δικαιον και επισινης et alio loco 2) το γαρ
 επισινης δονει δικαιον ειναι* εσι δε επισινης το παρα του
 γεγραμμενου νομον δικαιον, quod priore loco vniuer-
 saliter enuntiauerat, altero particulariter tan-
 tum asserit.

Enimvero in hoc ipso Aristoteles sine du-
 bio vituperandus est, quod iustum per aequum
 definiuit. Quam quidem maximam existimo
 causam, cur in omni de iure disputatione ita
 vacillet, vt opinionem eius difficillime assequa-
 ris. Inde etiam illud ortum est, quod ex iure
 naturali officia deducit moralia, pietatis, grati-
 tudinis cet. Probabile sane est, Aristotelem,
 si in hoc vitium non incidisset, notiones suas
 non solum clariores redditurum, sed altius
 etiam in indagacione processurum fuisse.

Sunt vero praeterea etiam aliae causae, cur
 forte noster in naturam iuris naturalis non altius
 inquiserit, in opinionibus praeiudicatis, animo
 eius infitis, positae. Aristoteles enim 3) sicut
 ceteri Graeci, barbaris Graecos, seruis liberos
 ita praestare putabat, vt eam, quae natura
 inter homines est, aequalitatem, ex oculis plane
 per-

1) *Eth. ad Nicom. V. c. 10.*

2) *Rhet. I. 13.*

3) *Polit. I. c. 3. 4.*

perderet. Verum autem ius naturale sine aequalitate hominum, tanquam pro basi accepta, non potest existere. Homo enim si alius cuiusdam instrumentum tantum est, non pro persona, sed pro re habetur. Pro rebus autem serui apud Graecos sine dubio etiam habebantur, quum *πηματα* appellarentur 1). Quanam autem ratione rebus possint suppetere iura aut officia a dominis ipsis praestanda? — Fuerunt quidem, et hoc ipsum discimus ab Aristotele 2), qui seruitutem omnino contra naturam esse arbitrantur; Aristoteles tamen ad hanc sententiam non accedit, sed seruum tanquam partem s. potius instrumentum *necessarium* familiae intuetur. Seruitutis omnino naturam deducit ex illa necessitate, tum vero etiam ex eo, quod obseruauit, natura alios aliis esse superiores, tum corporis, tum ingenii vi ac facultatibus. Obseruat Rousseauuius 3) Stagiritam non omnino errasse, quum ex eo, quod vidisset, non aliter iudicare potuerit; sed effectum habuisse pro

1) *Polit. I. 3.* Ὁ γὰρ ὑπηρετικὸς ἐνοργανὸν εἶδος ταῖς τεχναῖς ἐστίν. οὗτο καὶ τὸ πημα ὄργανον πρὸς ζωὴν ἐστίν, καὶ ἡ πημαὶ πλῆθος ὀργανῶν ἐστίν, καὶ ὁ δούλος πημα τὶ ἐμφυχόν. Et sic in aliis locis multis.

2) *Polit. c.* cf. *Xen. Cyr. II, 1.*

3) *Contrat. social. I. 2.*

pro causa. Quicumque enim a seruis nascatur, eum seruum esse natura, quod in seruitute vel ipsum libertatis desiderium perdant homines, seruitutemque ament; sicuti focii Vlyssis non recusabant manere in eo statu, in quem venefica Circe eos redegerat 1). Ut aliqua ratione mitiget asperitatem sententiae suae, nempe: Eos, quibus vtile sit dominari aut seruire, ius habere dominandi, aut debere seruire, Stagirita addit, vi quidem nullum esse ius; inter dominum vero et seruum amicitiam aliquam debere intercedere, qua iungantur; contrarium autem, quod vsu veniat, detrimentosum esse ambobus 2). — Videat ipse Aristoteles, quomodo haec cum prioribus coniungat! — Inaequalitas vero iurium inter seruum et liberum quendam quam statuit Aristoteles, alio loco vel magis apparebit.

Quum

1) Pudet vero, videre et nostris diebus viros de iure philosophantes, qui seruitutem defendant, vel ex inaequalitate indolis variorum populorum eam deducant, velut si iurium quoque, cuique homini suppetentium, quaedam inaequalitas natura existat!

2) Communis nimirum erat veterum philosophorum, optimorum etiam opinio, quicquid praestantius sit, ei vbicunq; imperium conuenire. Vtebantur hac argumentatione ad probandum rationis imperium supra corpus et minores animi facultates, deinde etiam ad aristocratiam in republica commendandam. cf. MORGENSTERN *comm. de morali Plat. doctrina* p. 104.

Quum enim de iure Talionis mentio incidit, reprehendit Stagirita Pythagoreos, qui idem ius omnibus suppetere affirmant. Ad feruos, dicit, non posse extendi id ius: *Neque enim iustum esse, eadem seruum aduersus ingenuum ferre, quando quidem si seruus ingenuum caeciderit, iustum non sit, ex altera parte tantum caedi sed impensius 1).*

Eiusdem fere generis est quod inter Graecos et Barbaros asseruerunt esse discrimen, quo, vt scimus, tota Graecia gloriabatur. Quod quidem, si excusamus gentium communi et vulgari opinioni, non eodem modo condonare possumus philosopho, qui talibus opinionibus praeiudicatis non imbutus esse deberet 2).

Carnades, tertiae academiae conditor acutissimus, Arcefilaum secutus, incertitudinem omnium cognitionum humanarum acriter reprehendit. Quid mirum, eum et iuris naturalis existentiam negavisse? — Eius quidem disputationis, Lactantio teste, haec erat summa: *Iura sibi homines pro utilitate sanxisse, sicut varia pro moribus, et apud eosdem temporibus saepe mutata; ius autem naturale nullum esse.*

1) *Magna moral.* I. 34. ου γαρ εστι δικαιον οικητη προς ελευθερον τ'αυτον.

2) *Polit.* I. 4. III. 13.

esse. Omnes homines et alios animantes ad utilitates suas, natura ducente, ferri; proinde aut nullam esse iustitiam, aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consulens 1).

Non magis mirandum scepticos de iuris naturalis existentia dubitasse. Notum est illud *Sexti Empirici* *Φυσει νομων ουδεν μηλει* 2).

Attamen non defuerunt eodem fere tempore et non multo post auctores argumenta illorum refellentes, veterum philosophorum, *Aristotelis imprimis, commentatores*. Qui quidem ita *Carneadem* refutare conati sunt, ut quidem concederent, homines iura sibi pro utilitate sanxisse, quum vero sociales simus natura, nulla tamen societas sine iure esse possit, necesse esse, ius quoque a natura esse. Audiamus prae aliis *Alexandrum Aphrodiensem*, qui textum *Aristotelis* hisce fere explicat 3): "Si natura sociales sumus et ad communitatem cum aliis hominibus proni, non autem fieri potest, ut duret societas sine iustitia, necesse est, ius quo-

1) *Lactant. inst. div. c. 17.*

2) *Sextus Empiricus adv. math. p. 464.*

3) *Alexand. Aphrod. de An II. c. 42.*

„quoque natura esse. Alia deinde impugnat argumenta iuris naturalis existentiae obiecta: “Quodsi, quoniam apud alios aliud ius est, propterea negent ipsum esse natum, certe id natura dicent esse, quod apud omnes idem est. Et si ius scriptum, quoniam scriptum est, per constitutionem et non natura esse dicent, certe necesse erit, ut natura non positione fateantur id, quod non in scripto vim habet. Suntque eiusmodi pleraque, quae appellare solemus ex ipso adfectu leges non scriptas, quae communes omnibus sunt, nisi sint excoecati. Reuereri enim seniores, colere deum, honorare atque obseruare parentes et praestantiores viros, sunt iura quaedam non scripta, sed communia, quae naturaliter apud omnes homines retinentur. De his enim neque paciscuntur secum neque leges sanciant, sed retinent, tanquam statutas et confirmatas ab ipsa natura.” Sic fere Alexander differit, plane ex mente Aristotelis, et partes suas defendit non male, ita tamen, ut facile videas, illum non habere accuratiorem iuris notionem, quam Stagirita.

Stoicorum opiniones in omni philosophia morali amplexus CICERO paucis iam a nobis tan-

tangetur, quum ex nullis ferme alius scriptoris libris sectatorum Zenonis sententia possit perspici.

In notiones iuris naturalis Ciceronianas si inquirimus, praecipue videtur nobis respiciendum esse ad libros *de legibus*, vbi Cicero de iure civili, philosophico aliquo modo, omnino sibi proposuerat agere 1). Quamuis enim hinc inde et in aliis variis libris iuris naturalis mentio fiat, et Cicero de iure philosophetur 2), in libris *de legibus* tantum feriem quandam notionem earumque aliquam coniunctionem et nexum expectare possimus; praesertim quum libri *de Republica*, in quibus eum de iure natura cuique suppetenti egisse a vero non abhorret 3), plane deperditi sint.

Placuit

1) Ipse Cicero operis consilium ita declarat, vt nullum profus sit dubium, quin verum aliquod ius naturale Ciceronianum ibi inueniatur *de Legg. I. §. 17.* nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa vniuersi iuris est ac legum, vt hoc ciuile, quod dicimus, in paruum quendam et angustum locum concludatur *naturae*. Natura enim iuris explicanda est nobis, eaque ab hominis repetenda natura: considerandae leges, quibus ciuitates regi debeant, tum haec tractanda, quae composita sunt et descripta iura et iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt, quae vocantur iura ciuilia.

2) e. g. *Off. I. 7.* et passim in *Orationibus*.

3) LACTANTIUS VI. 8. laudat locum ex Cicerone *de Rep. III.* praestantissimum: "Est quidem vera lex

C. 2

Placuit Ciceroni proficisci a lege, siue regula aliqua menti humanae infixam, quam ita definit:

Lex est ratio summa insita in natura, quae iubet ea quae faciendae sunt, prohibetque contraria. Eadem ratio, cum est in hominis mente confirmata et confecta lex est. Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, ut recte facere iubeat, vetet delinquere.

Ab hac lege (*ορθω λογω*) ducendum videtur Ciceroni iuris exordium. *Ορθος λογος*, quum omnino sit ea pars mentis, qua, quid verum sit iudicamus, tum etiam eam exprimit facultatem, quae quid rectum aut minus rectum, quid honestum aut inhonestum sit, discernit. Mores et omnem vitae

lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocat ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat: quae tamen neque probos frustra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando mouet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum aut per populum solui hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator, aut interpret eius alius: nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immortalis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium deus ille, legis huius inuentor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur, atque hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugerit. — Ex quo loco, vel si alia non haberemus testimonia, pateret, quantam iacturam fecerit respublica literaria, quum libris de Republica priuaretur.

vitae actionem secundum eam regi et temperari
necesse est 1).

Duas omnino Cicero habet causas, cur ius
a natura esse necesse putet, quarum prima de-
ducitur e natura diuina, secunda vero e com-
muni omnium hominum natura et naturali illa
benevolentiae coniunctione.

Prima, quam affert, causa a Stoicis est pe-
tita, qui mentem humanam particulam aliquam
putaverunt dei, animae mundi. Atqui in deo est
summae rationis fons et perfectissimum exem-
plar: homini ergo ratio recta cum deo commu-
nis est 2). Itaque ratio recta natura hominibus
est insita.

Alteram, cur iuris origo a natura sit repe-
tenda, causam ex communi omnium hominum
natu-

1) το δίκαιον, νομος et ὀρθος λογος, vt synonyma
fere coniunguntur ap. *Diog. Laert. VII. 128*, et
ὁ νομος ὁ κοινος explicatur per ὀρθον λογον δια παν-
των ερχομενον. Tamen mihi omnino non liquet,
cur haec ratio recta lex sit appellata, quum nihil
proprie sit, nisi regula quaedam, secundum quam
actiones nostras instituimus, aut instituere certe
deberemus. Sola enim enunciatione aut determina-
tione eius, quod bonum, quod honestum sit, aut contra,
officium non potest pari, sed aliud quid accedere ad
hanc enuntiationem debet, quo obligatio nobis iniun-
gatur, vndeque, cur, quod indicat enuntiatio, facien-
dum sit, intelligatur.

2) *Inter quos ratio inter eosdem et recta ratio commu-
nis est.* — WAGNERVS Vir. Cel. libri primi de
Legg. editor doctissimus, optime circulum in argu-
mentatione Stoicorum obseruauit, quod, quum
Cicero iam declarare velit, quanam sit summa ra-
tio, ad deum recurrat, quum tamen nos de diuina
natura nihil sciamus, nisi quod ex nobis ipsi haufe-
rimus.

natura deducit. Ratio enim, quum omnibus a natura sit data, necesse est, iisdem omnibus et rectam rationem esse datam, ergo et legem, quae est recta ratio in iubendo et vetando: si lex, ius quoque 1). Rationem vero omnibus esse communem et eandem, demonstrare studet ex omnium hominum similitudine, qua fiat, ut vna omnes comprehendat definitio 2). Spectatur vero haec similitudo in actionibus et iudiciis hominum, eorumque opinionibus. Sequitur ex ea naturalis illa benevolentiae coniunctio, ex qua summae nascuntur virtutes 3).

Omnino non potest negari, Ciceronem in tota iuris tractatione philosophica, iustum semper confudisse, aut omnino cum morali bono, aut cum iustitia. In quod quidem vitium omnes incurere necesse est, qui notionem iuris ex summa lege morali deducunt, et ex ea vim eius obligantem proficisci asserunt 4). Hoc tamen, quis Ciceroni ceterisque veteribus philosophis vitio vertet, quum omnes fere iuris naturalis praeceptores ad nostram vsque aetatem plus minusue idem commiserint?

Ceterum nemo infitias ibit, ius naturale Ciceroni fontem videri, ex quo omnia iura posita deducta aut deducenda putet. Certe non tantum ad supplenda iura ciuilia illud existere demonstrabat. Nec mirum. Quum enim legem moralem etiam legem iuris principem et summam constitueret, sine dubio omnia praecepta, quae ex summo illo praecepto fluere ipsi visa sunt

1) *De legg. I. §. 33.*

2) *de leg. I. §. 29. 30.*

3) *§. 33. l. c.*

4) *Göttingisches philos. Museum. St. I. 2.*

sunt, et vniuersum tenere genus hominum, et leges positiuas comprehendere necesse est 1).

Ad quaedam in orationibus Ciceronis loca si respicimus, suspicari debemus, eum et aliquam sibi formauisse notionem iuris cogendi 2). Quo si diligentius institisset, fortasse eodem modo ius naturale ab ethica discreuisset, ac tot alii ante hos annos philosophi, qui ius cogendi characterem assumerunt iuris naturalis, quo ab ethica, discerneretur.

1) *de legg. II. §. 8* "hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenii excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod vniuersum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia" deinde §. 10 "nec si regnante Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, ideo non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiae Tricipitini filiae, attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans: quae non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est. Orta autem simul est cum mente diuina."

2) *Cic. pro Mil. c. 4.* Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, quum vi vis illata defenditur. Pudicitiam quum eriperet militi tribunus, — — interfectus ab eo est, cui vim afferebat, facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter voluit. — — Est igitur haec non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus; ut, si v. t. nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis.

 T H E S E S .

- I. Nulla inter ciuitates Graeciae legibus ita erat constituta, ut ad felicitatem respiceretur omnium civium.
- II. Litigiosae virorum doctorum controversiae reipublicae literariae maxime nocent.
- III. Hymni Orphici, quos habemus, non iidem sunt, ac quos legit Pausanias.
- IV. Diana Ephesia eadem est primitus ac Venus Coelestis.
- V. Pindarus laudandus magis, quam vituperandus ob longius de Argonauticis episodum. Pyth. IV.
- VI. Lectio vulg. v. 28. hymni Callimachi in Delum contra Valckenaerum et Brunckium defendenda.
 Lect. vulg. εἰ δὲ λιγὴ πόλις
 Emend. V. εἰ δ' ὀλιγηπόλις
- VII. Necessè est in libera republica potestatem legislativam, quam vocant, ab executiua et iudiciaria seungi.
- VIII. Logica artificiali carere non potest, qui colendis literarum studiis se addixit.
- IX. Philosophiae studium sensum pulchri non adiuvat.
-

ULB Halle
004 813 057

3





1798, 1
A
4

DE
VRE NATVRALI
VETERVM.

Ου γαρ τε νυν γε κίχθεις, ἀλλ' αἰεὶ ποτε
Ζη τοῦτο, κούδεισ οἶδεν ἐξ ὄτου Φανη.

COMMENTATIO
QVAM
AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
PRO ASSEQVENDIS
SVMMS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

DIE XVII. MART. MDCCXCVIII

PVBlice DEPENDET

AVCTOR
FRIDERICVS BALLHORN

SEM. PHIL. GOTT. SOD.
HANNOVERANVS.

GOTTINGAE,
LITTERIS BARMEIERIANIS.

F. Ballhorn de iure naturali veterum.

